

Seculum VII.

1. *Quæ Romanorum Pontificum successio?*

66. Sabinianus ad 606	76. S. Eugenius ad 657
67. S. Bonifacius III. 607	77. S. Vitalianus 672
68. S. Bonifacius IV. 615	78. Adeodatus 676
69. S. Deusdedit 618	79. Donus 678
70. S. Bonifacius V. 625	80. S. Agatho 682
71. S. Honorius 638	81. S. Leo II. 683
72. S. Severinus 640	82. S. Benedictus II. 685
73. Joannes IV. 642	83. Joannes V. 686
74. S. Theodorus 649	84. Conon 687
75. S. Martinus 655	85. S. Sergius 701

2. *Quid de seculi hujus Pontificibus generatim dicendum?*

Magna omnes laude Ecclesiæ gubernacula tenuere. Honorio Pontifici cætera laudatissimo id vitio jure vertitur, quod Sergii Patriarchæ Constantinopolitani, Hæretici Monothelitæ artibus inductus, ejusdem errorem mox atque innotuit, palam ac manifestè damnare neglexerit, ratus, nascentem hanc hæresin indicto utrinque silentio compesci posse; cum tamen experientia teste, sectarii silentium, quod à Catholicis servatum cupiunt, ipsi minimè teneant, tantoque tunc nocentius, quanto tectius virus suum spargant, quasi ipsiusmet Apostolicæ sedis tolerantiam tantum non approbatum id sit. Bonifacio III. Ecclesiæ præfidente, nomen Episcopi Oecumenici, seu universalis, quod Patriarcha Constantinopolitanus contra jus fasque sibi arrogaverat, solemniter ipsius quoque Imperatoris Phocæ edicto vindicatum est